

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus L.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

si quisquam præfenti uita iuxta uoluptates carnis non fruatur. Huc facit quod dicit, Laudabunt te, cum benefeceris tibi. ut ab ea impietate dehortetur, subiungit:

Vers. 19. *Ut ipse uenias ad generationem patrum ipsorum.*) Quasi dicat: Quod te laudant, si tibi in hac uita benefeceris, hoc eo ualet, ut in eandem te cum sua generatione sortem conijciant: quæ ita est condemnata, ut in sempiternum lucem haudquaquam uideant. Proinde caue uestigia illorū sequare.

Vers. 20. *Homo in splendore.*) Hic uersus & supra habitus est, sed una tantum dictione immutatus. Nam ibi dixit, hominem in temporario isto splendore non duraturum, sed similem esse post mortē iumentis: hic uerò adiungit, si sit non intelligens. Non enim in uniuersum uerū est, quod homo alicuius precij in hac uita, sit planē iumentis similis futurus, quisquis tandem sit. Proinde hic addit, Et non intelligens. Loquitur autem de intelligentia ista, quam hoc psalmo cecinit, cuius initio psalmi meminit.

OBSER. I. *Ne timeas, cum diues factus.*) Notandum hic ingenium humanum, quā sit peruersum. Argumentum dat timoris, ubi poterat dare amoris. Nam per se non est res timoris, si proximus factus fuerit diues, & magna cumulatus gloria. Aliud sit oportet, si necesse est timere diuitem proximum. Vnde ergo? Ex eo, quod malignum est hominis ingenium. Vnde debet sumere causas beneficiendi, inde sumit causas nocendi ac lædendi. Et adeo peruersum est, ut magis cupiat timeri, quā amari.

Huius rei apertissima sunt argumēta in urbibus opulentis, ubi in eadē Republica sunt diuites & pauperes. Hic regnant diuites, & metu sunt pauperibus. Et uicissim, quoniam sciunt se non amari, nec cupiunt etiam amari à pauperibus, sinistra erga pauperes suspicione perpetuò laborat. Proinde non bene sentiunt, qui putant robur & sustentaculum Reipublicæ situm esse in diuitibus, cum magis metuenda sit illis Reipub. internecies.

II. *Cum multiplicata fuerit gloria domus eius.*) Per gloriam domus intelligit externum splendorem ædiū, uestium, & reliquæ substantiæ, in uxoribus, liberis, domesticis, &c. Et commodè illi dat argumentum uel multiplicationem. Nam hic non est modus. uolunt enim in isto splendore ostentare suas diuitias, & magnificari. Ista ostentatio opum, irritatio est & exacerbatio pauperum, deinde reliquorum diuitum ad id certaminis incitatio, & tandem hostium prouocatio.

III. *Non sumet quicquam ex omnibus.*) Præterquam quod hoc eò facit, ut sciamus diuites post hoc seculum in futuro nemini fore terribiles: etiam hoc simul notandum est, quā sint stulti, qui tantopere student colligendis diuitijs terrenis, cum nequeant quicquam inde reportare post mortē. Vide 1. ad Timoth. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, nihil ex eo auferemus. Et quod infelicissimum est, cum nequeas bona tua nec gloriam hinc auferre, auferes tecum perditionem, & summā ignominiam. Nam opera illorum, inquit, sequuntur illos. Proinde uidendum, ut si quid uelis tecū ablatum, colloques in pauperes: qui hoc habent priuilegij, ut impensa beneficia ferāt in futurū seculū.

III. *Quoniam animæ suæ in uita sua.*) Notemus hic, quorum sit ingenium, præfentis uitæ delicias sectari. Illis hoc datur, quibus datur etiam descensus ad inferna, & negatur lumen regni cælestis in sempiternum. Pij uerò ab hoc instituto auocantur. Ergo est animæ suæ benefacere in hac uita, qui ut uel non credunt, uel non sperant æternam uitam, ita sese præfentis seculi delicijs totos dedunt, quorum descriptam habes imaginem Sapient. secundo. Quanquam quid opus est ingenium istorum hominum ex sacra discere Scriptura, cum hoc seculo omnibus expositisimum ob oculos uersetur?

V. *Ad generationem patrum ipsorum.*) Videmus hic quā non sit perpetuò tutum gloriari in patribus, patrumq; uel uestigia uel sortem post hanc uitam complecti. Auocat posteros Scriptura sæpenumero à uestigijs patrum. Nos uerò putamus hodie peccatum esse in spiritum S. si dicamus, maiores nostros condemnationi obnoxios esse. Etiam in religionis contentione audimus plerorq; dicentes: Credam iuxta fidem parentum meorum, &c.

VI. *Et lumen in sempiternum non uidebunt.*) Ergo erunt in tenebris sempiternis. Christus Matthæi uigefi mosecundo, & uigefimo quinto meminit tenebrarum exteriorum, quibus dat fletum & stridorem dentium. Expendendum ergo, quanta sit eorum miseria, qui luce cælestis gloriæ, in qua iusti fulgebunt sicut sol in regno patris ipsorum, Matthæi decimotertio, in sempiternum priuati, tenebris detinebuntur sempiternis. Videmus hic quā sit iucunda lux, quā iniucundæ & horridæ tenebræ, unde ueluti ex imagine quadam statum futuri seculi in pijs & impijs cognoscere licet. Hic tenebræ obtinebunt Aegyptios: non aliquot dies tantum, sed in perpetuum, & dies erit apud ueros Israelitas.

PSALMVS L

PSALMVS ASAPH.

Argumentum psalmi.

Describitur iudicium Dei cum populo ipsius, in causa cultus: reprehenditurq; falsa cultus opinio, ac traditur ratio ueri. postremo reprehenduntur reprobi.

Dispositio

Dispositio psalmi.

Habet autem psalmus tres partes. Prima continet quasi uocem præconis, aduocantis ad hoc iudicium cælum
ac terram uniuersam ab ortu solis usq; ad occasum.

Altera habet exposultationem iudicis bimembrem: unam, qua de re ratione cultus agitur in genere cum uni-
uerso populo: alteram, qua corripuntur improbi.

Tertia habet adiectam in fine admonitionem ad omnes.

PSALMVS ASAPH.

Deus deorum Dominus mandat, & aduocat terram ab ortu solis ad us-
que occasum.

Ex Zion perfectè decoratus Deus illustris prodit.

Venit Deus noster, & non silebit: ignis ante faciem eius deuorat,

& in circuitu eius turbo uehens.

Aduocat cælum de sursum, & terram ad iudicandum populum suum.

Congregate mihi sanctos meos, inquit, ferientes fœdus meum super sacrificio.

Et declarabunt cœli iusticiam eius, quoniam Deus iudex ipse. Selah.

Perfectè decoratus Deus. Ebr. מְבֹרָךְ אֱלֹהֵינוּ. Græc. & Vulg. Lat. Species decoris eius. Hiero. **LECTIO**
Perfecto decore Deus. Sic & Iustin. Felix, Perfectè pulchritudinis. Pagn. Perfecti decoris Deus. **Verf. 2.**

Illud, illustris prodit. Ebr. מְאִיר פָּנָיו. Græc. & Vulg. Lat. Manifestè. Hieron. Apparuit. Sic & Iusti.

Felix, Splendidè apparuit. Pag. Illustrauit.

Congregate mihi. Ebr. מְאַסְפֵנִי. Græc. & Vulg. Lat. & Arabs pro לִי legerunt לָהֶם, & reddiderunt. **Verf. 5.**

congregate illi. Illud, sanctos meos, Ebr. מְשִׁיבֵי עַמִּי, id est, eos quibus ego bene uolo. Græc. Vulg.

Lat. & Arabs legunt, sanctos meos. Reliqua satis concordant.

Hi sex uersus pertinent ad primam partem, qua psalter officio utitur præconis. Vtitur autem **EXPLA**
illo magno serio, quia rem non leuiculam, sed maximam nunciat, nempe quod Deus iudicium ue-
lit inire cum populo suo: idq; in causa omnium maxima, nempe de ratione cultus. Sed primum ui-
deamus, quis sit sensus uerborum, & quæ emphases: deinde pro nostro more obseruemus peculiaris.

Deus Deorum Dominus mandat.) Autoritatem Dei ad cōmendationem officij sui inducit, dicens, **Verf. 1.**

se habere mandatum Dei, ne quis personam suam contemnat. Id & prophetis in usu fuit. unde to-
ties illud inculcant, Dominus exercituum loquutus est. Boni homines iudicant alios ex seipsis,
putantes eandem esse reliquis diuini nominis reuerentiam, quam ipsi habent: sed uel exigua, uel
propè nulla est diuinæ maiestatis ratio & obseruantia in hoc seculo.

Et obserua, quàm commendet diuinam maiestatem, non tantum dicens, Deus mandat: sed,
Deus Deorum Dominus. uel ut quidam legunt: Fortis Deus, Dominus, &c. Ita solent præcones
principum mandata adferentes, amplissimis titulis maiestati illorum exprimere: quæ ad hoc fi-
unt, ut maiore obseruantia sint erga illos subditi. Est autem illud, Deus Deorum, idem quod De-
us potentum ac iudicum. Vocat autem illum ita, non quod sit tantum potentum Deus, sed quod
& potentes illi subesse cogantur.

Et aduocat terram à solis ortu usq; ad occasum. & uers. 4. Aduocat cælum de sursum.) Ista sunt ad exprimendā **Verf. 4.**
seriam iudicij grauitatem dicta: nempe Deum ad hoc iudicium suum arbitrarium ac testium loco
aduocare cælum ac terram hoc est, tam aperto & irrefragabili iudicio acturum Deum cum popu-
lo suo, ut etiam si homines nō agniti ac fassuri, testes habiturus sit & arbitros cælum ac terram.
Sic Moses Deut. 4. 30. 32. & Esa. cap. 1.

Huc facit & sextus uersus, ubi dicit: Et pronuntiabunt cœli iusticiam eius, quod ipse sit iudex, **Verf. 6.**
hoc est, iustus iudex. Sic Ecclesia canit: Reuelabunt cœli iniquitatē Iudæ. hoc est, tam est magna,
ut etiam si nemo illam reuelare uelit, cœli illam non sint occultam manere passuri.

Ex Zion. Item: Venit Deus noster.) His duobus uersibus describit aduentum Dei ad iudicium. Et **Verf. 2. 3.**
primò unde sit proditurus. Ex Zion, inquit. Quia Zion erat sedes Dei, ac ciuitas Regis magni.
Loquitur enim ad formam mundani regis, qui profecturus ad disceptandum cum populo suo,
ex urbe regia progreditur, &c.

Deinde describit qualis sit progressurus ex Zion. Perfecto decore ornatus, ut solent reges, re-
giam ostentantes maiestatem. Deinde iratus, plenusq; spiritu uindictæ, cum magno terrore. Hoc
est quod dicit: Ignis uorans ante faciem eius, turbo uehemens circumquaq;. Regibus datur arma
toru ac satellitū multitudo. Sed Deo datur talis uis, qua omnia & cōsumere & prosternere potest.

Ad iudicandum populum suum.) Hic exprimit, ad quid Deus cælum & terram aduocet, & ipse quòq; **Verf. 4.**
Zion progrediatur: nempe, ad iudicium ineundum cum populo suo.

Congregate mihi sanctos meos.) Non loquitur de alijs, quàm de populo suo. Quoniam uerò omnes **Verf. 5.**
populi totius terræ Dei sunt, uoluit præco specialiter exprimere Israelem, populum sanctum, ac
fœdere coniunctum cum Deo. facit autem hic Deum ipse mandare. Nam suprâ, mandare Deum
dixit. Hic quod attinet ad populi iudicandi congregationem, quemadmodum rei ad iudicium
citari solent, inducit Deum mandantem, ac dicentem: Congregate mihi, &c. Ad hæc, expri-
mentem etiam causam, de qua sit cum illis disceptaturus: nempe, propter sacrificium, uel super
sacrificio.

sacrificio. Illud ferientes pactum mecum super sacrificio, potest & ita exponi: Qui propter sacrificia sua uolunt me sibi quasi fœdere quodam deuinctum. Similis est loquutio in prophetis, qui feriunt fœdus cum morte, cum inferno. quasi dicat: Qui uelut paciscuntur mecum ad suam securitatem cum sacrificijs suis. Non enim probabat sacrificia illorum, ut in sequentibus audiemus. Iam uideamus quæ sint obseruanda.

- OBSER. I.** *Deus mandat.* Hoc & similibus locis, uidemus quod sit officium eius qui minister Dei uideri uult, ad illius populum nempe, ut non suum, sed Dei uerbum adferat. Hoc enim non solum exigit officij fides, sed & gloria diuinæ maiestatis, omnibus ubiq; colendæ & obseruandæ: deniq; & laus auditorum, quorum conscientijs non potest humano uerbo consuli.
- II.** *Deus Deorum.* Notandum & hoc, quod Dominum uocat Deum Deorum, id est potentum ac iudicum, cum tamen sit omnium mortalium Deus etiam imbecillum. Facit hoc ad amplificationem diuinæ maiestatis: quæ tanta est, ut & potentes huius mundi, non solum imbecilles illam agnoscere cogantur. Tale est & illud Prou. 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis est in manu Domini: quocunq; uoluerit, dirigit illud. An non & aliorum mortalium corda sunt in manu Dei? Vtiq; Sed regis cor dicit esse in manu Dei, cum ut exprimat maiestatem Dei, tum ut soletur imbecilles, ne putent reges & potentes id habere potentia, ut omnia pro suo arbitratu præstare & exequi possint. fugiamus ergo cōtra tyrannidem potentum huius seculi, ad Deum hunc potentū ac iudicum.
- III.** *Aduocat cœlum & terram.* Et, Cœli pronuntiabunt iusticiam eius. Hoc diligenter est expendendū, cum ad terrorem obstinatorum, tum ad erigendum animos ministrorū Dei, qui pessimum hunc contemptum Dei hodie & ipsi experiuntur, quod mundus uel prorsus contemnit uerbum Dei, uel non credit esse uerbum Dei, quo ad pœnitentiam & uerum Dei cultum, pietatisq; studium uocatur, ut sciant & ipsi, cœlum ac terram in extremo iudicio contemptus huius fore testes.
- IIII.** *Ignis ante faciem eius.* Ista similitudine Spiritus sanctus sæpenumero intolerabilem uim ac potentiam irati Dei ob oculos ponit, cuius certè in tempestatibus illis cœli admoneri debemus. uide psalm. 18. Rectè datur illi ignis consumens, ac turbo prosterbens. Quid enim iræ Dei resistere, imò hanc quid ferre poterit?
- V.** *Ad iudicandum populum suum.* Habet hoc peculiare Deus, ut licet omnia omnium delicta odiat, iudicaturusq; sit: populi tamen sui delicta multo minus ferre queat quàm alienorum. Sic Petrus dicit, iudicium incipere à domo Dei. Iudicat autem suos in hoc seculo, ne cum mundo damnentur in futuro.
- VI.** *Congregate mihi sanctos meos, & confœderatos meos.* Duo sunt hic notanda. Vnum, quod populum suum uocat *חֲסִידָיו*: Id est, ut ita dicam, beneficiatos suos, uel ut uertunt, sanctos suos. Quare nō uocat eos subditos suos, more principum huius seculi? Discamus ergo hic quid sit esse populum Dei, quid sit Deum esse Deum nostrum. Sancti Dei nihil sunt aliud, quàm *חֲסִידָיו*. Vide Psalm. 16.
- Alterum, quod eos etiam tum, cum propter delicta ad iudicium, idq; in causa cultus sui, ut reos & castigandos citat, sanctos suos uocat, & confœderatos. Ergo non ideo illos reijcit, nec planè ut prophanos habet, licet ad iudicium uocet castigandos. Hoc summo opere obseruandum est. Primum ad consolationem: deinde & ad instructionem, ne nos abijciamus statim, proq; prophanis habeamus quosuis peccatores. etiam tum cum ad iudicium uocantur & corripiuntur, cum audiamus eos adhuc Domino, cuius sunt, esse sanctos ac confœderatos.

SECUNDA PARS PSALMI.

7 Audi popule meus, & loquar, Israel, & contestabor te: Deus sum ego, Deus tuus.

8 Non arguam te propter sacrificia tua, nec propter holocausta tua quæ coram me sunt semper.

9 Non accipiam de domo tuo taurum, neq; de caulis tuis hircos.

10 Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, pecora in mille montibus.

11 Noui omnia uolatilia montium, & feræ agrestes mecum sunt.

12 Si esuriero, non dicam tibi: quoniam meus est orbis, & plenitudo eius.

13 Nunquid manducabo carnem taurorum, aut sanguinem hircorum potabor?

LECTIO *Nec propter holocausta tua, quæ, &c.* Ebr. *לֹא אֶשְׁחָט לְךָ חֹלֹעֹטִים*: id est, & holocausta tua coram me sunt semper. Subintelligendum autem est primum illud *עַל*, quod est in principio uersus: deinde dictio *אֲשֶׁר*, ut legatur: *לֹא אֶשְׁחָט לְךָ חֹלֹעֹטִים אֲשֶׁר*.

Vers. 9. *Taurum.* Ebr. *בָּקָר*. Græc. & Vulg. Lat. Vitulos. Hiero. quoq; reddidit, uitulum. Sic & Iustin. Pagnin. Iuuenicum.

Vers. 10. *Pecora in mille montibus.* Ebr. *בְּחִמּוֹת בָּהָר רַב־אֱלֹהִים*. Græc. & Vulg. Lat. Iumenta in montibus & boves. Hieron. Pecudes in montibus millium.

Vers. 11. *Et feræ agrestes mecum sunt.* Ebr. *וְרַגְלֵי שָׂרִי עִמָּדִי*. Græc. & Vulg. Lat. Et pulchritudo agri mecum est. Hieron. Et uniuersitas agri mecum est. Iustinianus, Et fera agri mecum est. Sic & Pagn. Chald. Et gallus

A Et gallus syluester, cuius pedes in terra quiescunt, & caput coelum attingit, cantat coram me. Reliqua conueniunt.

Dixit præco, uenturum Deum ad iudicandum populum suum. Adiecit etiam causam, & reliqua, quæ ad illam pertinent. Iam describit ipsam expostulationem Dei cum populo suo. Et primum ponit auctoritatem Dei, quam habet in populum suum, dicentis uersu septimo: Audi popule meus, & loquar, &c. Complectitur autem eam omnium breuissimè duobus. Primum eo, quod communis est uidelicet, quod Deus sit. Deus, inquit, ego. Deinde quod singulare est. Deus tuus, inquit. Satis erat Deum esse: uerum ut omnis tergiuersatio adimeretur, adiungitur quod præcipuam referebat gratiam. Erat enim præcipue Israelis Deus. Et huc facit quod dicit, Popule meus, & Israel: ut adimoneat eos in iti fœderis. Quasi dicat: Deus quidem ego sum omnium, Deus uerus & unus, ut præter me non sit alius quisquam: attamen tibi Israel, tibi popule meus, quem elegi, cū quo fœdus iniui, potissimum ac præcipue sum Deus.

Ergo meritò exigit, ut audiat Israel, dicens: Audi popule meus, Israel, &c. Quid enim iustius, quàm ut populus audiat Deum suum? Iustum est, ut ab omnibus audiatur, qui unus est Deus, & solus Deus: sed quoniam non audiunt omnes, audiant saltem illi, quibus singulari ac præcipua gratia datum est esse populum Dei. Quod si ne illi quidem audire uoluerint, quid poterit fingi iniquius?

Audi popule meus. Notandum est igitur quid exigatur ab illis, qui sunt populus Dei: hoc scilicet, ut audiant uocem & contestationem Dei. Hinc toties inculcatur Israeli, Audi Israel. Et Hieremiæ septimo, ubi cultus sacrificiorum, quemadmodum & hoc psalmo reijcitur, unum hoc exigitur, ut audiat populus Dei uocem Dei sui. Vide locum.

Quid est autem audire uocem Dei? Quid aliud, quàm nolle sapere proprio iudicio, sed esse discipulum uerborum Dei: nec uelle libero uti arbitrio, sed obedientem esse uoluntati Dei? Quid ergo faciunt illi, qui in cultu Dei erigendo non uocem Dei, sed suam ipsorum uel aliorum mortaliū sapientiam audiunt, & sectantur? Quid illi qui hodie in omni ista religionis contentione nō sustinent audire uerbum Dei, sed traditionibus, mandatis, ac ritibus humanis sunt addicti?

Et contestabor te. Animus uerè obediens, ad primum quemq; nutum sese morigerum exhibet. Quibus uerò opus est contestatione, notam habent inobedientia. Est autem contestationis huius ista ratio, ut adimatur inobedientibus in posterum omnis excusatio. Quid hodie nobis accidat, satis manifestum est. Si essent aures audiendi, nihil opus esset tantis contestationibus. Quoniam uerò tantopere nos per suos ministros contestatur Deus, apertum est indicium, adimi nobis omnem excusationem.

Deus sum ego, Deus tuus. Ratio est, quare uelit audiri ab Israele. Quia Deus tuus sum, inquit. Hoc nunquam satis expenditur, licet populo Dei sæpenumero inculcetur. Quid hinc aliud intelligendum est, quàm non audire uocem Dei, esse ipsissimam negationem Dei? Qui non audit uocem Dei, quomodo dicit se Deum agnoscere pro Deo suo? In decem præceptis præmittitur: Ego Dominus Deus tuus, & postea subiunguntur præcepta fœderis, ut scias in fœdere cum Deo esse nō posse, qui uocem illius non audiat.

Simul expendendum etiam, quid sit esse Deum, & maximè quid sit Deum esse nostrum Deum. Hac de re uide supra psalm. 22. Ibi: Quoniam Deus meus es tu. Tu extraxisti me de uentre matris meæ.

Non arguam te propter sacrificia tua, nec propter holocausta tua, quæ coram me sunt semper.

Pertinet hic uersus ad secundam partem psalmi, in qua propositio illa tractatur, cultum Dei nō esse in sacrificijs, sed in nominis Dei inuocatione. quæ sanè propositio duo habet: primum, reprobationem falsi cultus, deinde assertionem ac demonstrationem ueri. Hic uersus tractat primam propositionis partem: mox reprobans simpliciter falsam illam opinionem Iudæorum qua se putabant egregiè colere Deum assiduitate sacrificandi. Quod ergo dicit, Non arguam te propter sacrificia tua, &c. idem est ac si diceret: Non moror sacrificia tua, propter sacrificia tua tecum nō contendam, in iudicium te non uocabo: frustra putas te mihi sacrificijs tuis probè seruire, & holocaustis tuis, quæ mihi offers sine intermissione, gratificari.

Videmus hoc uersu reprehendi in iudicio Dei Iudæos, mox initio, eius peruersitatis, quod stulti diu fuerint eius rei, quam Deus non requirebat: itaq; studiosi, quasi omnis colendi Dei ratio in ea sita fuerit, cum interea ueri Dei cultus, uel nulla scientia, uel certè nulla tenerentur cura.

Et holocausta tua, quæ coram me sunt semper. Notandus hic feruor carnis, in præpostero cultu Dei: quo fit, ut & assidue studeatur ei rei, quæ cultus Dei non est, tanquam sit cultus Dei, & nulli sumptui parcat. Quis poterit exprimere magnitudinē sumptuū quos Iudæi fecerunt in sacrificando, & holocausta offerendo? An non in utrisq; delinquant hodie supersticiosi? An non student ei cultui, qui cultus Dei non est, relicto eo qui uerus est: deinde & ingentes sumptus impendunt in ficticiū illum cultum quem assidue frequentant? Quod si de sacrificijs illis legalibus ista Deus dicit, cum tamen illa præceperit: quid dicturus est de cultu humanitūs inuento? An non maior est insania sacrificiorum hodie, quàm fuerit Iudæorum: qui si aliquid humanarū traditionū omit-

tant, pu-

tant, putant se summam de eo reddituros rationem cum sint interea in transgrediendis mandatis Dei securissimi.

Vers. 9. 10. 11. 12. 13. His uersibus rationem reddit, quare nō expetat sacrificia & holocausta pecudum. Assignat autem duas causas: una est, quod cum omnia in sua habeat potestate, non indigeat nostris oblationibus. Ad hanc causam pertinet uersus 9. 10. 11. & 12. In quibus & hoc obseruandum est, quod feras & bestias, ac uolatilia sylvarum, montium, agrorum, quæ liberè agunt in montibus, syluis & agris, absq; ulla mortalium cura, illis animantibus opponit, quæ à mortalibus educantur. Quare certe diuitias suas ostentat. Quasi dicat: Quid me putas expetere tauros & hircos è domibus ac stabulis tuis, cum habeam tantam copiam ferarum, bestiarum, uolucrum, in mille montibus, agris ac syluis, imò in toto orbe, cuius omnis plenitudo mea est? Hoc obseruent, qui putant se Deo gratissimum munus offerre, si uel aurum illi, uel argentum, uel lumen aliquod offerant: an non idem audire possint à Deo, quod hic Iudæis dicitur.

2 Altera est, quod talis sit Deus, qui nullum habeat horum sacrificiorum usum, cum nec carnem edat, nec sanguinem bibat. Hæc ratio datur uersu 13.

Q V A E - Sed quæritur hic, quare ergo præcepit Deus offerri sibi pecudes? Nam etiam si in decem præceptorum tabulis tale nihil præcepit, præcepit tamen inter alia legis mandata. Respondeo: Erat hoc consuetudinis apud omnes gentes, ut Dijs suis seruirent huiusmodi sacrificijs. Et alioqui id insitum est mortalium animis, ut Deo offerant, gratitudinemq; ac reuerentiam qualemcunq; ita ostendant. Itaque, ne Israelitæ tale quid per se tentarent, præcepta dedit de ritu sacrificandi, ut assuescerent consistere in uerbo ipsius, alerenturq; in potioribus, ut in fide, timore ac dilectione Dei, ueroq; pietatis studio.

2 Deinde, consultum ita uoluit sacerdotibus suis ac Leuitis, pauperibus ac peregrinis. Licet enim ipse nec carnes comedit, nec sanguinem bibat, nec opus habeat nostris pecudibus: alendi tamen erant isti in ministerio, ad quod erant destinati. Cum ergo ita simus peruersi, ut non facile demus, quæ putamus non Deo, sed hominibus data: ideo uoluit ista sibi offerri ac deberi à populo suo, quæ necessaria erant ministris ipsius, & pauperibus. Et hæc erat ratio, qua sacerdotes in Chaldæi prætexuerunt deum Belum comedere quæ offerebantur. Nam alioqui tantam alimoniam à rege non accepissent. Sic & illi in cultu sanctorum fecerunt, qui docuerunt, quid cullibet sanctorum offerri debeat.

OBSER. I. In eo quod Deus hic testatur se non coli sacrificijs pecudum, cum ille tamen præcepit: admonemur, non statim cultum Dei esse, si quæ Deus quouis modo præcepit, opere adimpleueris. Idè sentiendum est & de Sacramentis. Longè alia sunt quibus colitur Deus, quàm quæ opere possint externo simpliciter adimpleri.

OBSER. II. Quoniam noui omnes bestias sylvarum. Expendenda est hic infinita prouidentia Dei, quæ se nō solum ad mortales, sed & ad infinitum bestiarum numerum extendit, quas omnes alit in syluis, montibus, agris, desertis, campis, aquis marinis & fluuiialibus, ad quas nulla penetrat humanæ industria cura. O' fidei nostræ imbecillitatem.

OBSER. III. Meus est enim orbis terra, & plenitudo eius. Commodum Israeli, tanquam uni orbis nationi, imperium opponit totius orbis, & omnium quæ in illo sunt. Putabant se egregiè seruire Deo per sacrificia pecudum: quasi non potuisset plura, si talia quæreret, ex toto orbe accipere, quàm ex una duntaxat orbis natione: nec cogitabant aliud se debere Deo offerre, quod non reperiatur, nisi in eo populo, qui sit noticia Dei præditus. Cogitemus hoc & nos Christiani, maior est orbis gente Christianorum. Quod si nos ea uoluerimus Christo nostro offerre, quæ potest ubiq; gentium reperire, audiemus merito quod hic audiunt Iudæi.

14 Sacrifica Deo laudem, & redde altissimo uota tua.

15 Et inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me.

Lectio conuenit.

EXPLA- NATIO. Hi duo uersus habent alteram propositionis partem, qua traditur, qua in re sit sit uerus Dei cultus: uidelicet, in nominis Dei fide, laude & inuocatione. Nam id recto ordine prioribus subiungitur. Neq; enim ad hoc, ut ritè Deum colas, satis est scire, qua in re non sit cultus Dei, sed necesse est, ut cognoscas etiam quis sit uerus cultus Dei. Videamus ordine singula.

Sacrifica. Sacrifica Deo laudem. Per imitationem dicit, Sacrifica laudem, quemadmodum Christus Ioannis sexto: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Rogabant enim de opere Dei, quod facerent. Ita hic quoq; quoniam de sacrificijs agitur, quibus Iudæi omnia dabant, uocat laudem Dei, sacrificium laudis: ut & alibi legimus de uitis labiorum.

Deo. Quid est quod non dicit, Sacrifica mihi laudem, & redde mihi uota tua, cum ipse Deus de seipso loquatur? Non caret ratione & emphasi. Vult enim ostendere nō tam quid sibi simpliciter debeatur à populo suo, sed quid sibi ut Deo, & altissimo debeatur, quod deceat & cōueniat offerre ei, qui Deus sit, & altissimus. Qua ratione absq; dubio ostēdit erroris Iudaici causam in eo fuisse, quod non satis expenderint, quid Deum deceat, ut Deum, quid Deo placeat, ut Deo, ut altissimo. Et certè hoc unum expensum tolleretur etiam hodie multos errores in Ecclesia Christianorum.

Cato. Notum est illud Catonis: Si Deus est animus, nobis ut carmina dicūt: Hic tibi præcipue pura sit mente colendus. Ecce hic homo argumentatus est ex eo, quod Deus mens dicitur, quomodo ut Deus

A Deus sit colendus. Tale quid in Persio Satyra secunda legis in fine, ibi: Dicite Pontifices, in sacro Persius
quid facit aurum?

Laudem.) Cum loquatur de laudis sacrificio, uidendum est, quare ueteres illud *החיה* plerumque uerterint confessionem Laus Dei ita comparata est, ut includat confessionem accepti diuinitus beneficij, quæ sanè confessio duo habet: unum, quàm simus miseri, & quanta fuerit afflictio & calamitas: alterum quòd per bonitatem Dei erepti sumus. Hæc tendunt ad exaltationem & commendationem diuinæ bonitatis. Rectè itaq; pro laude Dei uertunt confessionem.

Est enim confiteri Deo, apertè prædicare accepta diuinitus beneficia, omnemq; Deo gloriam adscribere. Ergo quicumq; meritis suis non nihil tribuunt, quiq; salutem suam quamcunq; alijs acceptam referunt quàm Deo, confessionem Deo sacrificare nequeunt: imò iniurij sunt & ingrati in beneuolentiam Dei, à quo omnia acceperunt.

Et redde altissimo uota tua.) Non dicit, Et uoue altissimo: sed, Redde altissimo uota tua. Vota hic accipiuntur non pro monasticis illis, sed pro ijs quæ in necessitatibus uouebantur Deo, ab illis qui opem Dei implorabant, ut fieri solet. Nam ita comparatum est ingenium mortaliū, ut cupiamus placatum reddere eum, quem imploramus. Id putat homines fieri per munera, quæ notas habeant animi grati. Atq; ideo perpetuò uotum aliquod subiungunt, ubi auxilium numinis implorant. Hoc tutissimum est apud eos, qui sanctos inuocant. Sed hic uidemus solutionē uotorū tale quid esse, quod coniunctum sit sacrificio cōfessionis, quod soli Deo debetur. Vide psal. 22. & 66. & 116.

Inuoca me in die tribulationis.) Quia dixerat, Sacrifica Deo laudem, & redde altissimo uota tua: subiungit, quid ad hoc sit necessarium: nempe, ut inuocemus Deum in tribulationibus. Inuocatio nominis Dei est, per quam accessus est ad sacrificium laudis. Nam illa habet promissionem auxilij Dei. Et eripiam te, inquit. Hinc est illud Romanorum decimo: Quicumq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Experientia auxilij diuini parit bonitatis diuinæ laudem. Et hoc est quod dicit, Et glorificabis me: id est, dabis mihi gloriam & honorem, laudabis & prædicabis me, coles me ut Deum ac saluatorem tuum, diliges & obseruabis me, studebis uoluntati meæ, &c.

Habet hic uersus in se breui summa comprehensum, quis sit uerus Dei cultus, & quid Deus à nobis requirat. Proinde singula sunt expendenda.

Inuoca me.) Principiò notandum est, quòd præcipit ut se inuocemus. Non dicit, Si inuocaueris me: sed, Inuoca me. Nec dicit, Inuoca angelos meos, uel sanctos meos, Abraham Isaac, Iacob, Moysen, &c. sed, Inuoca me. Ergo exigit à populo suo, ut se inuocet. Oportet igitur inuocationem Dei tale quid esse, quod pertineat ad cultum. Est enim maxima pars, imò caput cultus Dei, facere uoluntatem Dei. Voluntas Dei est, ut se inuocemus, alioqui non diceret, Inuoca me. Considerandum igitur est, quid in se habeat inuocatio nominis Dei, cuius gratia pertineat ad cultum ac uoluntatem Dei.

Iudæi putabant se Deo gratificari, probeq; seruire, offerendo aliquid ex pecudibus, frugibus, &c. hoc est, si Deo aliquid darent. Id non faciebat ad gloriam ac maiestatem Dei. Sordidum erat tale quid de Deo cogitare. Dei est non accipere, sed magis, esse saluatorem ac protectorem esse, suis instar thesauri cuiusdam ditissimi, unde omnia petantur. Ideo exigit à suis, ut se inuocent, à se petant, à se accipiant, magis quàm ut sibi adferant. Hoc sensu pulchrè respicitur ad præcedentia, ubi dicit: Non accipiam de domo tua taurum, &c. Et: Meus est orbis terræ, & plenitudo eius. Quasi dicat: Israel si me colis ut Deum, Deum tuum, non ita coles, quasi donis tuis delecter, sed ita ut scias tibi omnia à me petenda, à me accipienda. Hoc faciens, dabis mihi gloriam ueri Dei. Agnosce tuam miseriam & paupertatem, quàm nihil habeas, nihil possis, quàm opus habeas uero Deo, à quo accipias omnia, agnosce meas diuitias, & ex illis pete, quibus opus habueris.

Deinde, quia Deus natura est optimus, clemens ac misericors, ipsaq; charitas, ut inquit Ioannes: sit ut gaudeat ac delectetur benefactis, adeoq; cupiat inuocari à suis, ut occasionem habeat declarandæ suæ bonitatis. Et isti ingenio Dei non conuenit accipere à suis, sed magis dare suis. Itaq; & hoc nomine facit ad cultum Dei, inuocatio nominis Dei.

Accedit & hoc, quòd inuocatio nominis Dei requirit fidem in Deum, qua Deus summopere delectatur, & quā unicè requirit à nobis. Vt enim bonus est, saluator est, misericors est: in summa, Deus est, ita & cupit se talem haberi ac reputari à nobis. Hoc autè facit fides, necessaria ad inuocationē. Nam, ut Paulus inquit Romanorū decimo, Quomodo inuocabunt in quem non credunt? Cū ergo Deo sit gratissimū, si illi bene fidamus, & hanc fiduciā bonitatis ipsi requirat ipsius inuocatio, etiā hac ratio inuocatio Dei, ad cultū Dei necessariò requiritur, Deoq; gratissima existit.

Est autè inuocatio nominis Dei his etiā rationibus maximè necessaria. Primum, ut exerceamus fidem nostram. Secundò, ut experiamur & agnoscamus quàm grati sumus Deo, qui inuocantes ad se exaudiat. Nam alioqui ut optimus est Deus, ultrò benefaciens omnibus, quid prohiberet, quo minus & nobis citra petitionem nostram daret omnia? Nō enim ideo uult orari, ut precibus nostris ad beneficentiam permoueatur ac flectatur, sed quòd cupit nos sincera in se esse fiducia, & certos esse de sua in nos beneuolentia, quam nos experiri uult per inuocationem.

Cum ergo res tantæ, tam ad gloriam Dei, salutemq; nostram, & uerum cultum Dei necessariæ comprehendantur in eo uno, quod dicit, Inuoca me: quid quæso potuit inter Christianos pestilentius excogitari, quàm mortuorum sanctorum inuocatio?

OBSER. I.

Gloria & maiestas Dei.

OBSER. II.
Bonitas Dei.

OBSER. III.

In die tribulationis.) Quid ista particula requirit? An non debemus inuocare Deum, nisi in die tribulationis? Deinde, quæ est dies illa, quæ non sit in hac uita dies tribulationis? Notandum est ergo, quemadmodum exigitur ad uerum Dei cultum, ut illum inuocemus, uera cordis erga illum fiducia præditi: ita simul exigi, ut hoc faciamus tempore tribulationis: idque eius tribulationis, quæ non solum sit in se tribulatio, sed quæ à nobis etiam sentiatur. Tamen si nulla dies in hac uita suam non habeat molestiam, iuxta illud, Sufficit unicuique diei sua malicia. illæ tamen dies rectè dicuntur dies tribulationis, quæ à nobis, ut tales sentiuntur. Sentiuntur autem, quæ præcipuas adferunt molestias. Ergo hoc exigit Deus, ut in maximis se molestijs ac tribulationibus inuocemus. Non quod non semper debeat inuocari nomen Domini, sed quod nunquam illud queat cum maiore gloria nominis Dei fieri, quam in maximis tribulationibus, utpote, in angustijs lethalium ægritationum, tempestatum maris, captiuitatis, & id genus alijs innumeris, ubi animus horrorem & anxietatem mortis & inferni sentit.

In his potissimum tribulationibus inuocandum est nomen Dei. Primum ob id, quod hic potissimum exercetur, ut dixi, fides nostra, quæ nullum habet aliud obiectum quam bonitatem Dei. Deinde & ob id, quod Deus pro tali se uult haberi, qui sit protector & adiutor in tribulationibus.

OBSER. I. Quid est ergo, quod tot auxiliares Deos constituerunt superstitiosi, quos in tribulationibus inuocant? Audimus hic præceptum diuinum, de inuocando in tribulationibus Deo. Rogentur illi, quis debeat à captiuis inuocari? Respondebunt, sanctus Leonhardus. Quis in tempestatibus marinis? dicent, sanctus Nicolaus. & sic in reliquis tribulationibus, peculiare inuenire Deos. Deus uerò dicit, Me inuoca.

II. Notandum etiam, quod sine omni specificatione dicit simpliciter, In die tribulationis. Nulla hic excipitur tribulatio. Quæcunque, qualiscunque, quantacunque sit tribulatio, præcipitur tibi, ut in illa constitutus, Deum inuoces.

III. Videmus etiam hic, quam peruersa sit ratio humana. Illa facile inducitur ad inuocandum Deum tempore prospero, in aduersis uerò non ita. Nam hic putat se frustra implorare numinis opem, cum hic potissimum sit precandum ad Deum, cum habeamus uerbum Dei, Inuoca me in die tribulationis. Fides uerò hic sese potissimum exerit, confugiens ad ipsum percutientem. Hinc sunt illa sanctorum ieiunia, & conuentus item Ecclesiarum, in rebus aduersis, ad Dominum clamantium.

Et eripiam te.) Ecce adiectam promissionem. Non dicit, Ut eripiam te: uel, Fortè eripiam te: sed, Et eripiam te. Hac promissione succurritur fidei nostræ, ut possimus cum bona spe & fiducia auxilium implorare à Domino. Ista promissio ut non est hominis, sed Dei, ita fallere non potest. Tales pollicitationes ab hominibus factæ, plerumque fallunt, ut quotidie uidemus. Nam omnis homo mendax. Quia uerò Deus uerax est, non possunt illius promissiones esse non omnium certissimæ. Proinde illi qui Dominum in aduersis non inuocant, ut transgressores sunt præcepti diuini, dicentis, Inuoca me in die tribulationis: ita & in promissionem hanc, cui non credunt, sunt contumeliosi. Quæ enim poterit maior in Deum contumelia committi, quam si dignus non habeatur, cui promittenti credatur?

OBSER. I. *Et eripiam te.*) Expendendum autem, quantum sit quod Deus ille omnium maximus, infinita illa maiestas promissione sua mortali homini, terræ ac pulueri obnoxium sese facit & obstringit, cum nihil ab illo possit uicissim expectare beneficij.

OBSER. II. Notanda simul & nostra peruersitas, quæ tanta est, ut cum ipsis tribulationibus urgentibus uel tro debeamus opem implorare diuinam, adhuc tamen illam, adiectam etiam promissione, uel non imploramus, uel certè ægrè imploramus. Ostendat sanctorum inuocatores aliquæ sanctorum, qui talem nobis reliquerit promissionem. Et tamen in implorandis sanctis prompti sunt, hic non sunt.

OBSER. III. Alenda est autem fides promissionis huius exemplis sanctorum, quæ nobis in Scripturis proponuntur, quorum plurima sunt in psalmis. Deinde etiam nostris ipsorum exemplis, quæ declarata in nos diuinam bonitatem & promissionis istius ueritatem commendant.

Sed notandum est & hoc, quod pleraque sunt, quæ hanc promissionem Dei impediunt, ut iam non eripiat ex tribulationibus, quicunque nomen Domini inuocauerit. Nam scriptum est psalmo decimo octauo, Clamauerunt, & non erat qui responderet: ad Dominum, nec exaudiuit eos.

1. Primum non exaudiuntur impoenitentes, aliorum oppressores: Esaiæ primo. Proinde opus est resipiscencia à malis. Vide Esaiam quinquagesimo quinto cap. Quærite Dominum, dum inueniri potest. Deinde, non exauditur, qui pauperum clamores non exaudit, Prouerborum uigesimo primo. Exemplum diuitis in inferno.

2. Tertiò, non exaudiuntur, qui subdolo sunt corde, & aliud quærunt, quam uel gloriam Dei, uel suam aut aliorum salutem. Vide psalmum sexagesimum sextum, Si iniquitatem respexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

Et honorificabis me.) Hoc est, posteaquam non tu mihi, sed ego tibi benefecero, posteaquam senseris me uerè Deum tuum esse protectorem ac seruatorem, tum me uerè honorificabis. Ita inuocationem & ereptionem sequitur cultus. Hoc uidemus in illis, qui sanctos inuocant. unde conspicuum est, illos esse adoratores & cultores alienorum deorum. Quæ est autem ista glorificatio? Super præ dixit: Sacrifica Deo confessionem. Et infra: Sacrificium laudis honorificabit me. Huius exempla multa sunt in psalmis.

A Impio autē dixit Deus, quid tibi, ut enarres statua mea, & assumas fœdus meū in os tuum? 16

Et tu odisti disciplinam, & proijcis uerba mea retro te. 17

Siquando furem uides, curris cum illo, & cum mœchis portio tua. 18

Os tuum destinas malicie, & lingua tua concinnas dolum. 19

Sedens aduersus fratrem tuum loqueris, cōtra filiū matris tuæ struis calumniā. 20

Hæc facis, & ego tacui, & putas me tibi similem esse: arguam te, & resistam tibi in faciem. 21

Lectio satis conuenit.

Hoc est alterum secundæ partis membrum. Hactenus eos reprehendit, qui etsi in ratione cultus Dei errarunt, animo tamen erant ad colendum Deum uerè ac sincerè dedito, & nihil per hypocrisim, sed omnia per errorem delinquebant. Illos è fœdere suo haud abiecit, sed populū suum ac sanctos confederatosq; suos uocauit, ac benignè de uero cultu Dei apprehendendo docet & admonet, atq; ab errore auocat. Hic uerò aliud hominum genus taxat & acriter increpat, ut quod prorsus alienum sit à fœdere ipsius, & longè peius peccet, quàm promiscua illa per errorem delinquens multitudo.

Impio autem dixit Deus.) Appellationem impij Scriptura dat non cuius peccatori, sed planè maliciosi, qui ex destinata malicia, non ex errore peccant. Et ea quæ impijs hic opprobantur, declarant longè aliter peccari ab impijs, quàm ab his qui per errorem delinquant. Est enim impius is, qui nullo Dei studio ex animo deditus est, sed cor habet timoris Dei & ueræ pietatis experts. Sūt autem impiorum genera duo. Vnum eorum, qui nulla hypocrisi maliciam animi celantes, in omnis generis flagitia libero feruntur impetu. Alterum eorum, qui maliciam & impietatem cordis simulatione pietatis ac probitatis obtegunt. Et hi sunt, qui hoc loco reprobantur. Non enim cum illis hic agit Deus, qui manifesta impietate fœdus ac statuta sua reiecerint: sed magis, qui per hypocrisim nomen pietatis inter homines, cum in corde essent impij, quærebant, & ea facinora, quæ ut impij designabant, fūco externæ ac simulatæ pietatis obtegebant. Et hoc ex his patet, quæ impijs Deus hic opprobrat, quæ breuiter iam uidebimus.

Quid tibi, ut enarres statuta mea.) Hinc liquet, non taxari palàm impios, sed tales, quibus statuta ac fœdus Dei crebrò in ore fuerint. At tales solent haberi pro pijs.

Tu odisti disciplinam, & proijcis uerba mea, &c.) Hic uers. 19. declarat id, quod præcedens habet, nempe quòd isti homines usurpabant statuta ac fœdus Dei, non ex animo, sed per hypocrisim esse factum, cum cordibus detestati sint omnem pietatis disciplinam, & uirtutē uerbi Dei, unde ad pietatem erudiuntur pij, prorsus reiecerint.

Ergo locus hic eosdem taxat impios, homines hypocritas, quos Christus reprehendit Mat. 15. dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Ex istis apparet, quos arguat hic Deus, uidelicet enarratores statutorum ac fœderis Dei. Hos fuisse constat primum qui in synagoga docendi gratia legem Dei populo proponebant: deinde qui iudices erant constituti, ad castigandum delinquentes. De plebe namq; nō poterit puto exponi, cum illa magis audierit quàm enarrauerit legem ac statuta Dei. Sunt ergo, qui hic increpantur, optimates & capita populi, doctores legis, sacerdotes ac præsidēs sacrorum, iudices ac tutores iusticiæ, de quibus & Hier. s. legimus ad hunc modum: Ego autē dixi, Forsitan pauperes sunt, & stulti, ignorantes uiam Domini, & iudiciū Dei sui: ibo igitur ad optimates, & loquar illis. Ipsi enim cognouerint uiam Domini, & iudiciū Dei sui. Et ecce hi magis confregerunt iugum simul, ruperunt uincula.

Impietatem istam optimatum ac præsidum populi Dei, quæ hoc loco taxatur, uidemus esse non recentem, sed planè inueteratam. Tempore Dauidis, tempore prophetarum, tempore Christi inuenta est & reprehensa. Quid mirabimur, si impij isti hypocritæ obtineant etiā nostris temporibus, regnentq; in Ecclesia Christi, quib. in ore perpetuò uersetur Deus & cultus Dei, cum corde à Deo sint procul dissiati? Ista est sors Dei in populo suo quasi perpetua, ut ministros habeat homines hypocritas, seipsos magis quàm gloriam eius, cuius sunt ministri, quærentes.

Quid tibi?) Ergo ab usurpatione administrandorum statutorum fœderis ac uerbi Dei, ex Domini sententia alienus esse debet homo impius & hypocrita. Quid enim aliud est quòd dicit: Quid tibi, ut enarres statuta mea, & usurpes fœdus meū in os tuum? Idem namq; est, ac si dicat: Cum sis impius, quam ob rem usurpas tibi statutorum meorum ac fœderis administrationē, ad te nō pertinentem? Nam si & impius coram Deo potest esse uerbi sacrorumq; minister, quid opus erat ad hūc modū illud p̄bro uertere impijs, ut hic uidemus? Est ergo Deo prorsus abominabile officiū hominis impij, siue illud fiat prædicatio, siue ceremonijs externis ipsum colendo, siue iudicatio.

Sed hic queritur, quid sit illud Christi Matth. 23. Super cathedram Moysi sedent scribæ ac pharisæi, quæ dicunt, facite: quæ faciunt, facere nolite. Ecce Christus non reprobatur ministerium hominum impiorum. Respondeo: Discernendum est inter Deum & populum, id quod & Augustinus hic facit. Licet enim Deo tales ministri supra modum displiceant, & ad ipsos propè non pertineat ministerium hoc eloquiorum ac iudiciorum Dei: populo tamen audiendum est, donec uerbum

Dei propositum fuerit. Secus, si humanæ proponantur rationis commenta. Inter ea tamen Ecclesiæ ius vindicandum est: de quo Cyprianus scribit, ut reiectis impijs, si fieri possit, eligantur pii. Secus etiam habet in communicatione mysteriorum. Ibi plebs non debet communicare cum proposito impio, maxime si ipsa mysteria non administrantur secundum institutionem Christi. Vide Cypr. lib. 1. Epist. 4.

Quomodo tuebuntur missas suas homines impij? quæ si honæ sunt, Deo non placent per tales administratæ. quibus obijci potest: Quare tu usurpas testamentum meum in os tuum?

De ciuitate Dei
lib. 8. capite 19.

Nec est quod se tueantur per figmentum boni operis operati, cum in illo opere sint operatores impij, Deo abominabiles, quorum preces Deus nec exaudit, nec munera & oblationes accipit, ut est in Esaia 1. & Malachia 1. Si uero malæ sunt, Deo iam per se displicent, illumq; ideo magis irritant, quam placent. Ita disputat & August. contra superstitionem Platoniorum quorundam, qui docebat per dæmones offerri Dijs mortalium preces, contra quos sic colligit: Quæro, quales preces hominum Dijs bonis per dæmones allegari putant, magicas ne an licitas? Si magicas, nolunt tales Dijs: si licitas, nolunt per tales.

Simul hic notandum est, quid sentiendum sit de illis ministris Dei in populo, qui non solum impij sunt, quæ sua sunt quærentes, sed & uel impietatem docent, relicto uerbo Dei: uel prorsus non docentes, de bonis Ecclesiæ, sub titulo ministerij Dei, saginantur ac deliciantur, fouentes sub se eos qui impiè docent. Quod si isti Deo tantopere displicet, qui tamen impij sint, bene tamen docent, statuta non hominum, sed Dei docentes: quid faciet cum illis, qui ne hoc quidem faciunt, sed simul populum Dei seducunt?

OBSER. III.

Et tu odio habes disciplinam. Disciplinam est eruditio ad pietatem. Ad hanc data erat lex, ad hanc faciunt statuta & fœdus Dei. Impius uero, ut pietatem non amat, ita & disciplinam pietatis non amat. Est ergo ingenium hominis impij tale, ut non solum non amplectatur disciplinam Dei, sed & odio illam prolequatur. Secus fit à pijs. illi etiam si non per omnia rectè agant, disciplinam tamen Dei amant.

OBSER. IIII.

Et projice uerba mea retrò te. Ecce ex odio disciplinæ sequitur contemptus uerbi Dei. Est itaque apertum signum animi impij, disciplinam odio habentis, si uiderimus respui uerbum Dei. Contemptus uerbi Dei est, non quando ore contemnitur, sed quando factis impugnat: quemadmodum uerbum Dei tum dicitur amari, non quando simpliciter in ore uersatur, sed quando corde percipitur & custoditur.

Vers. 18. 19. 20.

Si quando furem uides. Ista sunt exempli gratia adiecta, propter id quod uersu decimo septimo dixit: Odisti disciplinam, & projicis sermones meos post te. Ita quippe comparatum est apud eos qui malos pro meritis corripit, ut libèter declarèt nominatim quæ in re peccent, quos corripit. Qui enim hoc facere nequeunt, apertum est, quod sinistro quodā affectu ducti, quosuis reprobet: ut in Anabaptistis uidimus. Ergo quod dixit, Odisti disciplinam, & sermones meos abijcis retrò te: his tribus uersibus probare uult, ne ullo pacto sese defendere queant.

Exponuntur autem tres isti uersus ferè ab omnibus ad hunc modum, ut intelligendum sit, impios istos à Deo reprehendi propter tria scelera, utpote auariciam, libidinem, maledicendi & calumniandi studium. Auariciam in eo, quod dicit: Si uideris furem, curris cum eo: ut cum fure curreret idem sit, atq; furari. Libidinem carnis in eo, quod dicit: Et cum mœchis portio tua. Studium calumniandi & maledicendi in eo, quod subiungit: Os tuum abundat malicia, &c. Iam negari non potest, hæc scelera esse hominum impiorum: sed quoniam, ut supra monui, hoc loco non apertè, sed occultè impij, & in speciem pij reprehenduntur, quibus in ore perpetuò sunt statuta & fœdus Dei: licet corde detestentur disciplinam Dei, uerbumq; Dei prorsus contemnant: malo hæc exponere de illis, qui nec furto apertè, nec adulterio, uel maledicentia, coram hoc seculo notentur, imò qui nihil minus quam pro furibus, adulteris, & maledicis habeantur, & tamen cum furibus, adulteris, & calumniandi uitio commercium suum habeant. Alioqui dixisset, Furaris, adulteraris, maledicis, &c. Quid enim opus erat præmittere, Si uideris furem, &c. Et cum adulteris portio tua. Et sedens aduersus fratrem, &c. Ergo cum fure currere, & cum adulteris portionem habere, & sedendo calumniam meditari, datur hic illis qui intra Iudæos erant primores, seniores, sacerdotes, peccata populi comedentes, & iudices. Hi scilicet, quorum erat officium ad præscriptum legis iudicare inter fratrem & fratrem, punire fontem, à calumnia liberare infontem. Isti acceptis muneribus iustificabant fontes citra legis præscriptum, absoluebant fures, adulteros, & id genus impios homines, si modò aliquid dabatur munusculorum. Et hoc est quod Esaia 1. legimus, Principes tui sunt socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Et quid ex eo sequebatur? Hoc scilicet quod pauperum causa, qui nihil dare poterant, negligebatur. & hoc est quod Esaia subdit: Pupillo non iudicant, & causa uiduæ non ingreditur ad illos: id quod & Hieremias capite quinto illis obijcit. Et ideo capite quinto dicit Esaia de eisdem: Qui iustificatis impium pro muneribus, & iusticiam iusti (qui nihil habet ut det) aufertis ab ipso.

Quomodo et sacerdotes hic deliquerint, uidere est Osee 4. Peccata populi mei comedunt, et ad iniquitates ipsorum subleuant animas suas.

Hoc scilicet reprehenditur hic à Deo, ut cum fure currere, & cum adulteris portionem habere, idem sit atq; questum & lucrum ex fontibus, qui castigandi secundum legem erant, uenari. Et quod subdit, Os tuum abundat calumnia, & lingua tua concinnas dolum, annexum est tanquam necessario prioribus adhærens. Necessè est enim eos qui in hoc sunt, ut captis muneribus absoluant fontem, &c.

Atem, & iusticiam iusti auferant, meditari fraudulentos pretextus, quibus in speciem satisfaciunt vulgo. Et id notatur quod dicit, Et lingua tua concinnas dolus: ut intelligas studium quoddam eius mali. Et hoc tantum esse dicit, ut non solum non cogitent se calumniam facere fratribus secundum gentem & religionem, quomodo Iudaei inter se fratres uocantur: sed non uereantur idem committere in uterinos fratres, si spes sit lucri. Quod autem & hoc de iudicibus expono, in causa est, non solum quod necessarii prioribus adheret, sed & quod inferitur dictio sedendi: Sedens, inquit, aduersus fratrem tuum loqueris, &c. quae dictio competit iudicibus, ut sessione notetur iudicis officium.

Ecce tales tum temporis regnarunt in populo Dei. Quales hodie habeamus iudices, dies ipsa declarat. Deinde quid aliud faciunt in Papatu episcopi & sacerdotes? Primum cum papalibus illis indulgentijs, quibus omnis generis flagitijs ualuas omnes recluserunt, & istam auariciam & incredibilem usurandi libidinem aluerunt, inq; id roboris, quo nunc est, euexerunt: deinde in confessionibus auricularibus, ut uocant, ibi quæ sita est ex furibus & adulteris aliqua portio. Et nostri Episcopi nunquid portionem habent cum mœchis & fornicatoribus, ubi quotannis censum illud fornicarium à sacerdotibus scortantibus auferunt? Sed audiamus sententiam iudicis post reprehensionem.

Hæc facis, & ego tacui. Hæc est sententia. Quasi dicat: Quoniam ego taceo, hoc est, per tolerantiam conuiueo, & non statim punio, tu tamen non ad poenitentiam flecteris, ut putes me tecum facere, istaq; mihi quæ facis non ita displicere. Verum senties, ubi te in iudicium uocauero, an ista mihi placuerint, nec ne.

Hoc erit & hodie timendum omnibus illis, qui nimia securitate impune iam delinquendo absque omni resipiscencia pergunt, quasi nihil sit coram Deo periculi.

TERTIA PARS PSALMI.

Intelligite quæso istud, qui obliti estis Dei, ne quando corripiam, & non sit qui eripiat.

Sacrificans laudem glorificat me, & hic iter est, per quod ostendā salutem Dei.

Lectio conuenit.

Iudicis hæc est beneuolentia, ut corripiat suos, etiam impios, non hoc nomine ut perdat, sed ut emendentur, ne pereant. Ideo iam tertia psalmi parte admonitionem ponit satis amicam, id quod interiectio illa amica, &c. quæso indicat: qua admonitione & psalmum concludit, ut ostendat hæc omnia in hunc esse finem disposita, ut castigati resipiscant: quod uerbo intelligendi notatur, cum dicit, Intelligite quæso illud. Et quoniam correptionem propter inæqualitatem delictorū in duas partes diuiserat, ideo & admonitionem facit bimembrem, ut uers. 22. pertineat ad impios quos acriter corripuerat, quibus hic dat obliuionem Dei, tanquam omnis impietatis illorum causam: & uers. ult. pertineat ad populum, qui in cultu Dei non ex obliuione Dei, non ex impietate, sed ut super dictum, ex errore deliquerat. Illis superiora refricat, iterumq; inculcat, dicens: Sacrificium laudis glorificat me. Et per illam iter est ad salutem Dei.

Intelligite, qui obliti estis. Duo sunt pessima mala, obtenebratio & stupiditas animi, deinde obliuio Dei: unde omnis promanat iniquitas. Istis sunt obnoxij hodie nostri cum iudices, tum sacerdotes, qui absq; ulla poenitentia delinquant.

Ne quando corripiam, & non sit qui eripiat. Notandū & hoc, hoc hominū genus minatur nobis ne scio quam humanæ uolentiae manum. Verum nulla est tam potens, tamq; uiolenta manus, unde eripi per manum Dei nequeamus. Manus uero Dei tam est potens, ut ex illa nemo queat eripi.

In Ebraeo est *אֶרֶץ*, id est ne fortē rapiam. Significat autem uerbum *אֶרֶץ* in morem prædæ abripi mordicis & uiolenter. Meo iudicio, loquitur de abreptione, quæ fit per mortem immaturam & uiolentam, qua ætate immatura, perinde atq; fructus immaturi, uiolenter abripiuntur impij, iuxta illud: Impij uero non dimidiabunt dies suos. Et non sit, inquit, qui eripiat, q. d. Qui gratificamini non mihi sed furibus & adulteris: ubi corripuero uos, non eripient uos, quibus gratificati estis, quantumuis sint potentes.

PSALMVS LI

AD PRAECINENDVM PSALMVS DAVIDIS,
cum accessisset illum Nathan propheta. postquam
ingressus fuerat ad Bathsaba.

Celeberrimus est hic psalmus, & in maximo apud omnes pios usu. Depicta namq; in illo præscriptaq; est omnibus uera poenitentiae ac resipiscencia forma. Quoniam uero non solum ex psalmo nobis proponitur, qui fuerit æstus animi poenitenti Dauidi, sed & titulus ipsius quoq; peccati admonet, cuius gratia hi gemitus à Dauid sint ad Deum pro impetranda misericordia directi: & simul tempus ponit, quando: & modum, per quem ad hanc sit poenitentiam Propheta permotus: operæ precium fuerit ipsam uidere historiam, in qua hæc omnia traduntur. Ea est 1. Sam. 11. & 12. in quibus capitibus uidere est primum, quid peccauit Dauid: deinde, quo modo per Nathan prophetam sit peccati admonitus, & ad resipiscenciam perductus: unde ista sunt obseruanda.

L 3 PRIMVM.

Vers. 21.

EXPLA-
NATIO.

OBSER. I.

Susanne dictū:
Melius est incide-
re in manus
uestras, quam
delinquere in
Deum meum.